

meisque confertur amicis, animo tu auferas violento¹⁾? Certe predico tibi non te levaturum hinc, nisi ab hac insania pedem mentis retraxeris, et quidem uxore filiisque privaberis, quorum suasu me hosque, quos intueris, Petrum videlicet, Benedictum, Paulumque²⁾ ad iracundiam provocasti'. His dictis visio adstantis et colloquentis discessit. Giraldus quidem in proximo pristinae redditus medele, penitentia ductus, ad Floriacum venit, culpam fatetur horroris³⁾, prostratus ante altare Dei genitricis; qui dum ad proprium rediit solum, coniugem cum filiis defunctam repperit, uti didicerat visione spiritali. His permoti adversarii beneficio primo possessa iniusteque pervasa ex tunc dimittunt nobis liberaliter⁴⁾ utenda.

27. Nec pretereundum tertium huius rei signum, quo in ore duorum vel trium testium omne stabiliatur verbum. Salensis loci fenisece⁵⁾, operi mediante iam die insistentes, prospiciunt comminus quendam reverendę canitie senem cum quodam puerilis aetatis collega iter agentem. Percontatus quis esset; 'ille', inquit, 'cui Hildebertus sui patrimonii reliquit facultates'. Sciscitantibus quo tenderet, easdem se visere⁶⁾ respondit alacriter. At illi tante rei misterio⁷⁾ attoniti, ad monasterium currunt, testanturque patrem⁸⁾ corporali intuitu se contemplatos esse. Quę res veritati assensum prebet, nam haud huius donationis extitit causa, quamvis vilissima, in qua non eadem die cerneretur, aut simili alloquio uteretur⁹⁾.

Deinde Atto et Sefra¹⁰⁾, eius soror, Oscantum, Varenas¹¹⁾ et Gitum, in pago Wastinensi positum, sancto Benedicto contulerunt.

28. Vichardus quoque suum alodium in Nevernensi situm et quicquid habuerat in Aziaco¹²⁾ secum obtulit voto spontaneo.

Fulcho etiam comes Andegavensium navi fratrum deputatę utilitati teloneum ultroneus remisit. Quin etiam medietatem abbatię sanctę Marię Nannetensis urbis, cum adiacentibus ad eam salinis eadem tempestate huic amico dei fide plena attribuit.

Aghdeus¹³⁾ Soliacensis Matriniacum¹⁴⁾ in confinio Aurelianensi eodem desiderio concessit.

1) Hs.: violenti. 2) Paulumque ist ausgestrichen. 3) Miracula: criminis. 4) Miracula: libere. 5) Miracula: foenatores. 6) Miracula: invisere. 7) Miracula: signo. 8) Hinter patrem bleibt eine Lücke im Text; die Miracula schreiben: patrem Benedictum. 9) So weit reicht cap. 6 der Miracula und die Uebereinstimmung mit diesen. 10) Bei den beiden auf 8 folgenden Uncial-Buchstaben ist es in diesem Namen nicht zu entscheiden, ob sie F oder E sind. 11) Varennes, dép. Loiret, c. Lorris (Delisle). 12) Azi, dép. la Nièvre, c. Saint-Pierre-le-Moutier (Delisle). 13) So in der Hs., wie alle Namen in Uncial; vielleicht ist aber Achedeus zu lesen? Cfr. Miracula S. Benedicti VI, 9 ed. Certain p. 231. 14) Marigni, dép. Loiret, c. Orléans (Delisle).